



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Capitvlvm II. Legatos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

tom. 20. de offic. delegati, & tradit Gl. hic
ver. citatio, Abb. n. 10. & 11.

CAPITVLVM I.

eod. Tit. in 6.

Officij.

Legati Sedis Apostolicæ, qui non sunt è latere Pontificis, ratione legationis sibi generaliter commissæ, beneficia conferre non possunt, sed ad hoc specialem licentiam desiderant. At verò Legati à latere, ratione muneris sui, adeoque veluti ordinario iure beneficia conferunt: quia sicuti honoris prærogatiuà alijs excellent, ita etiam maiore par est eos auctoritate pollere.

NOTANDVM Vn. Sicuti secundum ius Cæsareum nomen præsidis generale est, l. 1. ff. de offic. Præsidis, Proconsul autem maximam inter Præsides provinciarum potestatem, & maius omnibus in provincia post Principem imperium gerebat, l. & ideo, 8. ff. de offic. Proconsul. ita nomen Legati Apostolici generale est. Sed Legati Cardinales maximam inter omnes potestatem, & summum in provincia post Papam imperium gerunt; eò quod è latere Pontificis assumpti, eum propinquius referant, seu repræsentent. Vide quæ dixi lib. 1. tr. 4. c. 7. n. 22. & lib. 4. tr. 2. c. 10. n. 7.

CAPITVLVM II.

Legatos.

PARAPHRASIS.

Legati, qui à Sede Apostolica ad provincias destinantur, sicuti olim Proconsules ac Præsides, inter ordinarios Iudices numerari debent: quamobrem eorum officium ac potestas morte Pontificis legantis non expirat.

SUMMARIVM.

1. Legatus Pontificius ad provinciam destinatus habet iurisdictionem ordinariam; unde per mortem Pontificis non expirat.

2. Est tamen quodammodo extraordinaria, cum non sit perpetua & stabilis.

3. Vacante Sede Apostolica, Cardinales Legatum ordinariè reuocare non possunt.

NOTANDVM Vn. Legatus Pontificius ad provinciam destinatus habet iurisdictionem ordinariam, ac propriam, quæ proinde morte Pontificis legantis non extinguitur, tametsi iurisdictione vti non cœperit, imò ad provinciam non aduenerit ante obitum Papæ, vti bene docet Gl. hic ver. declaramus, quam referunt, & non improbant Ioan. Andr. & Dominicus, contra Durand. cit. §. Finitur n. 4. Nam Legatus cum primum Vrbe egressus est, dignitatem gerit, ac potestatem in habitu, licet non exerceat ante provinciam ingressum, arg. l. 1. & 4. ff. de officio Proconsul. Ergo, sicuti alij Ordinarij, eam non amittit, donec reuocetur.

Aduerte tamen ex doctrina Gl. in Clem. 2. ver. nolimus, ibid. Zabar. q. 17. de offic. Ordinarij, Mol. tr. 5. de iust. disp. 9. Tametsi iurisdictione & potestas Legatorum Apostolicorum simpliciter loquendo ordinaria sit, esse tamen quodammodo extraordinariam, & superinductam: cum non sit perpetua, & stabilis, sed personæ ita inhærens, vt eà mortuà, vel reuocatà extingatur, & ad successorem transire non censetur, vti etiam dixi supra.

QVÆRITVR hoc loco: An vacante Sede Papali, Cardinales Legatum reuocare possint? Resp. cum Dur. cit. §. Finitur, n. 5. Gl. cit. & Dominico quod ordinariè reuocare non possint; cum Cardinales vacante sede iurisdictionem Pontificalem non exerceant, sed id solum sollicitè curare debeant, vt Ecclesiæ bonum pastorem eligant, sicuti dixi lib. 1. tr. 4. c. 7. §. 7. At verò si causa grauis & vrgens postulare videretur, reuocare poterunt Legatum; præsertim, si nondum provinciam ingressus sit: ideòque iurisdictione non plenè ipsi acquisita sit. Et verò hoc casu frequentius videri poterit necessarium reuocari Legatum, vt à nouo Pontifice cum nouis mandatis, & instructionibus ad provinciam destinari possit.